Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35037
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



strenuus quoque interdum appetendum est. Illi ne proprie uite iniuriam exigant. his uero tempestiua laboris intermissione. ad laborandum fiant uegetiores.

Par uero amicitie clarissimum scipio et lelius. tum amoris uinculo. tum et omnium uirtutum inter se iunctum societate. ut actuose uite iter equali gradu exequebantur. ita animi quoque remissioni coniter acquiescebant. Constat namque eos caniete et laurenti. uagos littoribus. concas et calculos lectitasse. Idque se. p. crassus ex socero suo scaeuola. qui gener lelii fuit. audisse sepe numero predicauit. Scaeuola autem. quete remissionis eorum certissimus testis. optime pila lusisse traditur. quia uidelicet ad hoc diuerticulum. animum suum forensibus ministeriis fatigatum. transferre solebat. Alueo quoque et calculis interdum uacasse dicitur. cum bene ac diu iura ciuium cerimonias que deorum ordinassent. Vt enim in rebus seriis scaeuola. ita in scurrilibus lusibus hominem agebat. quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. Idque uidit. cui nulla pars sapientie obscura fuit socrates. Idque non erubuit. tunc cum interposita arundine cruribus suis. cum puerulis ludens. ab alcibiade lusus est. Homerus quoque ingenii celestis uates. non aliud sensit. uehementissimis acchillis manibus canoras fides aptando. ut earum militare robur. lenipacis studio relaxaret. Quanta uis sit eloquentie. viiij.

Potentia uero eloquentie. et si plurimum ualere animaduertimus. tamen sub propriis exemplis. quo silicet uires eius prestantiores fiant. recognosci conueniet. Regibus exactis. plebs dissidens a patribus. uiuit ripam fluminis amenis. in colle qui sacer appellatur. armata consedit. Eratque non solum deformis sed et miserrimus. r. p. status. a capite eius. cetera parte corporis. pesti fera seditione diuisa. ac ni ualerii subuenisset eloquentia. spes tanti imperii. in ipso pene ortu suo corruisset. Is namque populum. noua et insolita libertate temere gaudentem. oratione ad meliora et sanioria consilia reuocatum. senatui subiecit. i. urbem urbi iunxit. Verbo igitur facundis. ita. consternatio. arma cesserunt. Que et marianos cinanosque mucrones. ciuilis profundendi sanguinis cupiditate furentes. inhibuerunt. missi ei a seuissimis ducibus milites ad m. antonium obtruncandum. sermone eius obstupefacti. destrictos iam et uibrantes gladios. cruore uacuos reddiderunt. uaginis reddiderunt. Quibus degressis. p. antonius.

103v

is ei.